



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Biburgense monasterium, in Germania.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

lixto II. consecratum. Ab eo nomen induit
Congregatio Mellicensis, ad quam hodieque
spectat *Tegerustense* monasterium iuxta In-
golfadium & alia. vide *Vvionium* lib. 5. *Ligni*
vita cap. 11.

Elchingum, infra Vlmam, ad Danubium.

1128.

IN dicecesi Augustana quoque visitur mo-
nasterium *Elchingense* an. 1128. fundatum à
Cunrado duce Saxoniae eiusque coniuge *Lucia*
Sueviae ducissa, *Conradi III. Imp.* forore.

Biburgense monasterium, in Germania.

1124.

ANno à nato Christo 1124 *Vlricus* & *Geb-*
hardus, maiores natu fratres germani,
filij *Henrici* de *Biburg* & *Berthæ*, patriam di-
uiserunt hereditatem. *Vlricus* & *Gebhardus*
sortiti sunt *Hilpoldstain*, *Conradus* autem *Er-*
bo atque *Bertha* *Biburg*. Alij duo fratres *Eber-*
hardus & *Meginvvardus*, sacris initiati erant,
ille *Canonicus* *Bambergensis*, ac deinde mo-
nachus *Prufelingensis*; hic veteris *Capellæ*
Ratisbonensis *Præpositus*. Quatuor alij filij
Otto, *Magnus*, *Albertus*, *Hazilo*, ante obitum
parentum ex hac vita migrarant. nam *Henri-*
cus ille superior vndecim liberos ex *Bertha*
sua coniuge progeniuit, decem mares, & vnam
femellam *Bertham*.

Proximo deinceps anno, nimirum 1125.
Cunradus Erbo, & *Bertha*, consilio & auxilio *S.*
Ottonis, *Episcopi Bambergensis*, de suo pa-
trimonio *benedictinis* viris & feminis cœ-

nobi-

nobium, item pauperibus atque egenis Xenodochium ædificare cœperunt, & octauo anno compleuerunt, hoc est, anno 1131.

Quo etiam anno in die Simonis & Iudæ, *Otto* Bambergensis Episcopus, & *Henricus* Comes de *Vvoiffratshausen*, cognatus *Berthæ*, vxoris *Henrici* superioris, Pontifex Ratisbonensis, templum *Biburgense* consecrarunt. *Eberhardus*, monachus *Prufelingensis*, eo tempore frater fundatorum fit Abbas; frater eius *Vlricus de Stain*, Aduocatus, qui cum vxore *Halica* & filio *Burchardo* villam *Perchach* dono dedit monasterio. *Innocentius* secundus, Pont. Max. comprobauit hanc fundationem, & diplomate confirmauit.

D. Eberhardus, primus Abbas, Canonicus Bambergensis, deinde monachus a *D. Ottone*, Episcopo Bambergensi, translatus in *Prufeling*, mansit ibi vsque ad consecrationem monasterij à fratribus suis conditi, cui ipse præfuit annis tredecim. Deinde *Cunrado* primo Archiepiscopo *Salisburgensi*, de *Abensperg* oriundo, cognato ac vicino suo in Episcopatu successit, electus anno 1147. Præfuit annis septemdecim; obiitque anno 1164. sepultus in maiori Ecclesia, vbi adhuc religiosè colitur. Sic *Hundius* in
Metropoli *Salisburgensi*.